aut si nullum illud, nec istud. Hic nodus nec levis. Si vera exempla sunt, vix possum referre ad naturam. Tutius ad illud. Non solo pane vivit h. verum ut dixi, ἐπέχω et D. Lentuli (: cui ex me velim dicas salutem plurimam :) laudo studium, qui exempla hæc collecta publicavit, tibi pro dono gratias ago. Ἀντίδωρον non habeo nunc præter hanc disputationem, quam mitto. Mihi res est cum fera Jesuitica. Irritaveram Magirum Spirensem: disceptationem epistolarem haud dubiè vidisti, quia non satis bellè provinciam sustinuit, Spirâ Moguntiam avocatus est, et datus successor alius doctior, fortè nequior. Moguntini interim in me ipsi insurrexerunt publico scripto, quod suo tempore non negligam. Vale et D. Lignaridum Troglum aliosque amicos ex me saluta. Heidelb. 22. Octob. 1604.

48.

Michaëli Philippo Beuthero
David Pareus S.P.

Plurima haberem, vir clarissime, frater honorande, quae de tuis amicissimè scriptas tibi suggererem, sed cum auctoritate superiorum ἀμνηστία sancita sit, non debes de actis transactis rebus ulterius esse sollicitus: sententiam haud dubiè cognoscetis ex ipsa acta; summa est: maneat Catechesis Palatina cum scriptis homologeticis receptis, rata, sarta, tecta, exclusis novitatibus. Totum ut vides ex voto nostro et Ecclesiae. Itaque nec te velim [illegible] alias refutationem a me petere, quia superioribus tradidi; nec ego σύγγραμμα de quo scribis videre cupio, sed potius a vobis supprimi opto, ut aboleatur omnis διχοστασίας memoria et materia. Turbae Argentinenses D. Godefredum fortè expellent ut ad nos redeat, et professionem desertam talibus postliminio capessat. Heidelb. Calend. Jun: 1604.

T. D. Pareus.